PRIMÆ

INNOCENTIAE REDITVS AD CONCEPTAM VIRGINEM.

Vtriuſque linguæ obſequijs exceptus.

à

FRANCISCO MARIA CIARLINO VRBIN.
GABRIELI BENIO ROMANO.
FRANCISCO OLIVERIO TIBVRTINO.

Sem. Rom. Cler.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, Apud Franciſcum Caballum.
M. DC. XXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

INNOCENTIAE VIRGINALI

diuinam beneuolentiam gratulatur.

ORATOR

FRANC. MARIA CIARLINVS VRB.

DIVINVM ſanè ſemper fuit,odia Charitate,iracundiam miſericordia, vltionem beneficentia temperare; adeo non ſolum obſequia mortalium perenni felicitate remuneratur, ſed ipſorum etiam culpas Amoris inaudito miraculo planè facit eſſe felices, vt humanis ſceleribus iacta pęnarum ſemina diuinæ calore charitatis feliciſsimè degenerent in copioſam meſſem cumulatiſsimæ fauſtitatis. Elucet hoc ipſum miris modis in eo diuinæ commiſerationis decreto, quo,dum genus humanum primæ innocentiæ integritate multatur in hominum Patre,eadem ſimul ornatiſsimè decoratur in Dei Matre; nec prius penè iraſcentis Dei ſententia è terris expellitur Innocentia,quam eiuſdem miſerentis patrocinio glorioſius reuocatur in terras ad ſuas opes explicandas in Virgine. Hoc ipſum igitur conſultum in diuinitatis curia,vt arbitramur diuino Amore perorante reſcriptum de reditu primæ Innocentiæ ad ſingularem Dei Parentis decorem, ſi placet,breuiter proſequamur. Lex eſt iuſtiſsimæ indignationis diuinæ altè mortalium impreſſa Naturæ, vt omnes filij non vitam modo, ſibi trahant à parentibus, ſed etiam corruptionis labem,& initia mortalitatis. At vero quæ

ad progignendam vitam, vitæq. Reparatorem deſtinabatur, nec certè mortalem tabem à parentibus haurire debuit, ſed vitalē integritatem à filio, nec illum ſanguinem virginalem par erat impurum fuiſſe potius, quod ab infectis parentibus deduceretur quam omnino ſacroſanctum, & innocentem, quod ab eodem Diuina Sanctitas, & Innocentia erat ſibi vitam, & ſanguinem deductura. An plus illi turpitudinis attuliſſet. Heuę fuiſſe filiam, quam amplitudinis Dei matrem futuram? An in gratioſiſsima Dei forma plus Naturæ prauitas conaretur ad maculam, quam gratiæ dignitas ad nitorem? An lex publica famulorum ad pœnam, Reginæ gloriam prohiberet? An ira legiſlatoris in populos, Matri patibulum non caueret? Mortalis naturæ vires longè tranſcendit, vt matrem ſibi filius procreet, & ante generationis, ac vitæ beneficium acceptum à Matre, eandem euocet ad vitæ lucem; is vero qui ſuapte natura neceſſariò prius eſſe debuit à Deo Patre Deus Filius, quam impellente miſericordia aliquādo naſceretur à Virgine Deus homo, quid laudis, quid integritatis, & gloriæ maternæ pulchritudini non decreuit? Quæ virtutum ornamenta concipi poterant in mortali, quæ copioſiſsimè non cumulauit in Matre? Imò cætera ſanctitatis decora ſic Virgo accepit à filio, vt pro communi mortalium conditione ſui laboris induſtria ſibi comparare potuerit; at verò innocentem concipi: nunquam eſſe, niſi puriſſima integritate ſpectabilem; nullam in ſe impreſſam habere, niſi diuinæ beneuolentiæ notam, ac teſſeram, id enimuero ſolius filij beneficium eſſe poterat ſingulare. Parenti naufragæ dexteram porrigere, ſi poſſit filius, lege pietatis debet; ſed prius vlnis ſuſcipere, quam naufragium faciat, diuinæ fuerat pietatis miraculum matri vlnarum futura obſequia rependentis. Quod ſi Platonianæ ſapientiæ fuit oraculum; ſapientes in aureo cratere animā, ſpiritumq. primum exſugere: Sapientia Diuina quonam in cratere vitam propinare debuit parenti ſuæ, niſi primo in auro innocentis ætatis? quin crater ille, ex quo vitam humanam ipſa Dei

ſa-

ſapientia erat hauſtura,ex auro verè virgineo conflari debuit nulla ſordis commixtione deprauato. Par itaq; fuit, vas admirabile ad diuinæ ſuauitatis odoramenta fuſum igne cęleſti ſupra naturæ conditionem nullam transfuſæ noxæ contagionem olere;& quod tanquam opus excelſi diuina veritas cõmendabat, nullam potuit in eo lineam ducere mortalis deformitas. Quid,quod filius parẽtis eſt imago viua,non ex artis,ſed ex Naturæ pictura? Vnde nam filio matrem architectanti petendum erat integritatis exemplum, niſi,quantum fas erat,à ſemetipſo? Vt prius filij ſimilitudo,eiuſdẽ munere imprimeretur in matre, quam ab eadem, naturæ opera trãsfunderetur in filium. Tantæ igitur ſimilitudinis nitorem omnibus abſolutum partibus ſanciuit in Virgine diuina beneficentia,& quam fœditatis maculam naturæ humanæ corruptio minitabatur,diuinę cognationis cõmunicatio procul auertit. Horruit mortalitatis reæ ſupplicium illam aggredi, in cuius vtero iudex ipſe diuinus quaſi ex Amoris tribunali erat iura clemẽtiæ,non ſeueritatis daturus:nec auſa eſt pœna conditionis humanę eo proſilire,vbi diuinæ munificentiæ dona parabantur mortalibus;Quare diuinum vltricis iuſtitiæ decretum de primi ſceleris hæreditaria poſteris fœditate, Virginẽ etiam horrendi carminis lege multaſſet, niſi eadem iuſtitia in ipſa Virgine diuinæ miſericordiæ ſacrarium,diuiniq. Verbi cauſam hominis infantia perorantis ſugeſtum auguſtiſſimum reperiſſet. Proſpiciebat illa immortalis innocentię candorem in valle miſeræ mortalitatis erumpentem in florem,vt odore diuino grauitatem humanæ corruptionis opprimeret,& ſuccos etiam innocentiſſimos ad candidiſſimi floris alimentum non denegabat in germine virginali. Quid enim diuinę iuſtitiæ indignatio teterrimi putoris multam irrogaret illi, quam diuinæ clementia charitatis ſibi formandã ſuſceperat in terris ad ſuas delicias,ad complexus,ad oſcula, ad leuamentum mortalitatis aſſumptæ? Diſſoluunt amoris incendia vim iracundiæ,nec ipſe furor iraſci poteſt inter æſtus amabiles charitatis;quæ igitur in

puella ſummis ardoribus amantis Dei ſibi decreta diuini no
furoris inureretur? quę ſupplicij fieret mentio in Amoris,hoc e
munerum largitoris chirographo? quis iracundiæ character inſ
in beneuolentiæ diuinæ reſcripto? Quod tandē ius Auernalis ca
nifex agnoſcat ſuum in diuinis tabulis, vel æterni Parentis ſil
adoptantis filiam ad rerum omnium imperium; vel amantiſſin
filij ſibi matrem conformantis ad opulentiam ſuorum munerū
vel ſanctiſſimi Amoris ſibi Virginem deſponſantis cum ampli
ſima dote integerrimæ ſanctitatis? Tāti fecit Dei Matrem diuin
Curia,vt in decernenda Dei filio humanitate,nō prius illam diu
nitatis afflatu fęcundandam voluerit,quam per cœleſtem legatic
nem eiuſdem poſtularetur aſſenſus; conſulitur à Diuino Senat
voluntas Virginis in decreto ſibi honorificētiſſimo;ecquid ſanc
tum credamus eo conſulto de Virgine procreanda,de quo cū ipſ
conſuli non poſſet,Matris voluntas cōſulebatur in Filio? Quod
iacturam Virginitatis Pudoris Regina ſic exhorruit,vt ad propo
ſitum Matris nomen,filijque licet Dei ſacroſanctam appellation
hæſitaret,pedemque quodammodo referret; ſi alterutrum neceſ
ſe fuerit,Virgo potius,quam Dei Parens futura;Quis horror,Deu
immortalis! fuiſſet,quæ trepidatio,ſi de iactura innocentiæ, ſin
qua ſordet pudoris,& virtutum omnium nitor anxia puellula du
bitaſſet? Et quantū Matris horror perſtringeret Filiū, ſi quid pr
communi decreto de Matris innocētia detraheretur? O prodigio
ſam infantulam diuinæ beneuolentiæ ſingulare portentum! qua
prius quam eſſe poſſis in rerum luce,habebas in diuino Conſili
Filium decori tuo patrocinantem. Iam quid amplius addam de
Virginis innocentia primigenia? Sileat certè mortalis eloquentia
venerabunda,quando Dei Verbū pro Matris intaminata pulchri-
tudine eloquentiſſimus eſt Orator. Ab ipſa potius operoſis voci-
bus pietatis,&religioſiſſima clientela patrocinium exoremus,cu
ſane, ſi nondū Conceptæ Dei filius patronus fuit quid erit ad ma-
ieſtatem Matris,ad Cęli terræq. dominationem euectæ?

D I X I.

MELOS PRIMVM.

O Lux ætheris aurea,
O Numinis voluptas,
Felicitatis ſoſpita Innocentia,
Linque ſupremi culmina mundi,
Et nectaris fluenta,
Et regiam leporum,
Linque Cælum, linque ſtellas, linque fontes luminum.
Forma Diuino radiata Sole
Concepta claris Aetheris æſtibus
Virgo felices beat ore terras.
Illa illa tuos decet amplexus.
Quidquid Pupula quidquid eſt
Albicans eſt ſiderum ros,
Purpurans eſt ætheris flos.
Purum integritas excipe rorem;
Et Vnionem concha beatior
Educa; Cælum rapies & aſtra.
Florem Colona Numinis
Diuinæ ambroſiæ fontibus irriga;
Solem, Sidera, Cœlites, Tonantem
Trahes micantis floris ad venuſtatem.
Dignitas formæ, ſpecies decoris
Claro certat Olympo.
Quin & Iudice Numine
Tantum Virgineis cedit fulgoribus æther:
Quantum Reginæ famulatrix regia cedit.

ΑΓΝΕΙΑΣ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΑΡΘΕΝΟΝ ΑΣΠΑΣΜΟΣ.

ΧΑΙΡΕ χθονὸς καύχημα, βροτῶν κλέος, ὄχος ὀλύμπου,
Τάρβος ὑποχθονίοις, θάμβος ἐν ἀθανάτοις,
Παρθενίης φώτισμα, φίλον τέκος, ἔξοχον ἔργον
Παντοτελὲς χαρίτων, τῶν ἀρετῶν τε σέλας,
Τέκνον, ἐμοί τὸ γέλωτος ἐράσμια χάρματα πῆξον,
Ενθεον Αγνείας ὄμμασιν ὄμμα βάλε.
Σὴ βέλος ὄψις ἔχει, ἅμα δὴ καθορῶσα τιτρώσκεις,
Ἀλλ᾽ ἅμα τῇ πληγῇ καὶ πανάκειαν ἄγεις,
Παρθένε, πυρσοφόρον σοῖς φάεσι θῆκε φαρέτρην,
Σοῖς δὲ βελῶν ἀκμὴν ὄψεσι θεῖος Ἔρως.

INNOCENTIAE SALVTATIONEM AD VIRGINEM

Latine reddit

GABRIEL BENIVS ROMANVS.

LVCIS opus ſalue, cæli, terræque voluptas;
Tartareis terror, Gloria Cœlicolis
Virgineæ candor formæ, congeſta nitorum
Copia, Virtutum lux, Charitumque decor!
Pupula, ridentis mihi gaudia pande labelli,
Et mea diuinum lumen in ora vibra.
Spicula viſus habet: tua lumina ſpicula torquent;
Vulnera ſed telis iuncta medela ſubit.
Ardentem pharetram, Virgo, in tua lumina fixit,
Flexit & in viſus ſpicula Diuus Amor.

MELOS SECVNDVM.

MAGNI regia Numinis
Gaudet Virgineis icta nitoribus;
Et per ardua Cæli
Molem Triumphis Innotentia paras;
E colliquato ſidere fornix
Flectitur, & centum concreto è Sole columnis
Arduus inſiſtit, rutiloque exæſtuat auro;
Mille pilas luce plena pura conſlat Cynthia
Capita auricomo nectit acantho
Veris perennis arbitra,
Immortalis Amœnitas.
Hic multiformes Diua coronidas
Conformat Iris diſcolore ductu.
Hic fractos Erebi fixerunt arcus.
Gloria noctis luce nigrantes.
Adſtant ordine longo,
Et ceruicibus imam
Pilarum ſubeunt vicem
Immanes ſcelerum Atlantes, molique miniſtrant;
Quos victoria nexibus
Reuinxit adamantinis,
Magna Virgineæ Trophæa laudis.
Iam te pompa Triumphi
Vocat Integritas;
Age ſeſtinos molire gradus.
Vbi Pupulæ venuſtas
Tibi lumen explicabit
Iam præ Virginea vileſcent ſidera fornix.

DIVINVM AMOREM VIRGINALIS INNOCENTIAE PATRONVM

Canit Latinus Poeta.

FRANCISCVS OLIVERIVS TIBVRTINVS.

FATVR, an ore tonat? voces an fulmina torquet
Orator diuinus Amor? ſed ab igne Patrono
Quid, niſi vocales tonitrus, facundaque lingua
Fulgura, flexanimæque erumpant fulmina vocis?
Fulminat Orator, ſed amabile fulmen Amoris:
Ignea tela rotat, ſed amoris lacteus ignis,
Et ferit, & recreat; quotquot cjet ore procellas
Fulmineus Rhetor; tot flumina nectaris vndant.
Vincit Amor; ſuperos oratrix flamma Quirites
Abripit, æterni miteſcunt Iudicis iræ,
Obductusque furor ſub amoris voce liqueſcit.
Senſerat Integritas humanæ incumbere menti
Natalem ſceleris noctem, Stigioque vapore
Suffundi cœleſte iubar, quod ab ore Tonantis
Traxerat, inque hominis ſpirarat dædala formam.
Naſcentem execrata luem, terrasque nocentes
Vix patrio digreſſa polo feſtina refugit:
Infauſtos niſus, & collabentia raptim
Vota dolet, multa humanum per pectora turbat
Nomen; at obſeſſos odijs defendit amores;
Iamque homines odiſſe dolet. Sed concitus ira
Sæpè odium mentitur amor; mixtusque dolore
Mille trahit formas, & mille reciprocat æſtus.
Sed quid agat? Diuina vetant oracula terras,
Infandumque genus. Quis Numinis edomet iras?

Om-

Omnia vincit Amor, qui fulmina ſæpe Tonanti
Eripuit dextræ, vertitque in præmia pœnas.
Hunc adit Integritas, precibusque ad magna laceſſit.
Diue Amor irarum domitor, pacisque repertor,
Numen inardeſcens, & Numinis alma voluptas.
Aſpicis offuſas Erebi caligine terras,
Et debacchantes hominum per pectora peſtes?
Heu caræ ſobolis non eluctabile fatum!
Me decor extinctus, me caligantia mentis
Lumina mortalis feriunt, ſucciſaque torquet
Spes animum, & primis deluſus in æſtibus ardor.
Viuit adhuc preſſusque odijs ſub pectore perſtat,
Gentis amor, ſpirant veteres mea corda calores.
Te ſuplex Diuine Calor, tua numina poſco;
Tu potis es terras cœleſtibus indere campis
Et ſtellis ditare ſolum; tuus omnia verſat
Quam vinci ignarus, tam vincere conſcius ignis.
Ipſe velis; placidum reuocabit fulmina Numen
Indignabundo quamuis prius acta rotatu.
Flectere Diue Calor tua ſunt molimina terræ,
Humanumque genus: mundi nec ad ima iacentis
Imperijs niſi prona tuis delapſa ſubiuit.
Hæc ait Integritas; atque addere plura parantem
Interpellat Amor, riſuque excepit amico.
Excute ſollicitæ mentis ſecura tumultus,
Et vanos ne finge metus: te noſtra tuentur
Numina; diuini tibi militat ardor amoris.
Ardua ſpes hominum, noſtroque immobilis hæret
Fulta patrocinio, caſumque oblita ſuperbit.
Pulchrior humani ſpecies primæua decoris
Virginea in forma claro certabit Olympo,
Et radiata meo flagrabit purior igne.
Namque vbi te refugis repetentem ſydera pennis,
Et ſupereffuſo terras Phlegethonte labantes
Proſpexi; mea cura pios exarſit in æſtus,
Tutari miſeros, & flectere Numinis iras.
Cogitur interea ſummi ſuper ardua Cœli
Curia Cœlicolum, vltrices ad crimina clades
Iuſtitia expoſcit, fulmenque accenſa fatigat;

Et iam ſuplicij carmen Cœlum omne fremebat.
Tunc in facundas mea duxi incendia linguas
Igneus orator; fluxere in fulmina voces,
Et domitrix iræ tempeſtas ore tonabat.
Subſidit furor, & diuini ſoſpita iuris
Iuſtitia in mea vota libat; mihi plaudit Olympus
Supplicia exhorret iudex, & criminis vltor
Exutum pœnas meditatur præmia fulmen.
Tunc æui tabulis Diui Conſulta Senatus
Aeternis inſculpta notis: quæ præſcia rerum
Claudit inacceſſis Diuina Pronœa ſub vmbris.
Hæc tibi felices reditus ad Numine plenas
Decernunt terras, Cæli te clarior ardor
Induet, ac totus tibi ſe inſpirabit Olympus.
Te Cœli proceres, te clari lumina mundi
Cinctaque ſideribus te Numinis aula ſequetur.
Quo flectas oculos, comites obtutibus ibunt.
Cœleſtis lepor, & diuinæ gratia frontis.
Quæ modo per terras furiales excutit hydras,
Aeternamque luem, noctemque, Erebumque minatur
Peſtis Auernalis, fulgoribus icta beatis
Iam tua præda cadet, miſeroque in Tartara lapſu
Præceps luctificos tollet per Auerna fragores.
Tunc magnum aggredieris opus: tibi ſeruiet artis
Copia diuinæ; tibi Numinis ampla patebit
Congeries decorum; pronis tibi Gratia riuis
Vndabit, tumidoque fluet decor Aetheris amne.
Ergo per offuſas ſtygiæ caliginis vmbras
Lumine concretam puro, cœlique micantem
Delicijs formam, quæ multum Numinis inſtar
Puris Virginei referet candoribus oris,
Excipies felix, gremioque fouebis & vlnis.
Hæc reditus beat vna tuos; hæc aurea mundo
Secla ciet, primoque beatius explicat aurum.
Vna polum, & quicquid nitido præcellit in axe,
Ore trahet; trahet vna Deum. fœcunda Tonante
Ritè ancillantem ſibi cernet Numinis aulam.
Qui te corripient æſtus! vbi prima nitorum
In te acies inopina ruet! Cum Virginis almæ

Immortale decus diuina incendia voluet
Et circumfuſo radiabit Numine vultus:
Virgo tuas reparabit opes: humana reſurget
Gloria, dedignata ſolum caput inſeret aſtris:
Quare age, Virgineo cæli conuexa triumpho
Inſtrue; virtutum facilis tibi dextra laborat,
Et deuota tuis famulantur nutibus æthra.
Iam tibi flammiuomum paſſim reſolutus in amnem
Aſtrorum coaleſcit honor, ſua lumina Titan
Congerit, & melius refluit de crinibus aurum.
Plenior exilem Phœbe tenuauit in arcum
Fraternæ ſua dona facis, quod in ore coruſcat
Fortius abſcidit, pompæque ſacrauit in vſum;
Signorum dat Zona decus, via lactea miſcet
Candoris Cæleſte iubar: compage reuulſa
Diuitias ſuperum tibi Cœli regia pandit.
Ergo age, Virgineos molire operoſa triumphos.
Vix ea Diuus Amor: cum plauſibus aſſonat æther;
Amplaque ſupremo conſurgit machina mundo.

FINIS.